DE

OPHTHALMIA SYPHILITICA

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XII. M. AUGUSTI A. MDCCCXX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
E. FRIED. MAURITIUS BOEHME
SILESIUS.

OPPONENTIBUS
BAIL, MED. DR.
SCHNEIDER, MED. Dd.
LORENZ, MED. DR.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

PATRI

DILECTISSIMO PIE COLENDO


FR. GEOR. BOEHME

HAS

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.



Introductio.

Oculi, qui summum fere organisationis gradum obtinent, et totum quasi organismum referunt, quum non solum maxima cum irritabilitate et sensibilitate praediti sint et haud exiguum reproductionis fastigium occupent, sed etiam consensu cum ceteris organismi partibus intime coniuncti sint, omnibus fere morbis, qui totum invadunt corpus, etiam affici possunt, ita ut saepissime morbum corporis occultum illis cognoscere possimus. Praecipue illos observamus morbos, qui dyscrasiam quandam in corpore gignunt, magnam in oculos vim exercere, qua de re quaecunque oculorum morbosa affectio, dyscrasia quadam laborantis, mox indolem huius dyscrasiae ostendit, et eo periculosior fit, quo difficilius illa dyscrasia removeri possit. Sed affectio morbosa externa ut accidat, saepissime necesse non est, et consensus solus, vel

aliae corporis actiones nobis adhuc incognitae gravissimos oculorum morbos ex dyscrasia producere possunt; ita ut, nisi auxilium celeriter abhibeatur, videndi facultas non solum, sed etiam forma oculorum saepius turbetur. Quia igitur hoc oculi morborum genus recte cognoscendi atque curandi res est maximi momenti, unum eorum, qui nobis crebro occurrit, et cessante medici ope, exitus infelicissimi est, oculi enim inflammationem a morbo venereo productam, describere, mihi in animo est, non alicuius novi hac de re proponendi, quod mihi, omni fere experientia destituto, opus esset difficillimum, sed accuratioris de hoc morbo cognitionis mihi parandi causa, etiamque dissertationis conscribendae officio, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur, ut me solvam.

Quaedam de ophthalmia syphilitica in genere.

Duplici forma syphilis incidere potest, tum inflammatoria, tum ulcerosa. Prior tantum membranam urethrae mucosam vel prostatam, rarius vesicam (quod saepius in foeminis, quam in viris accidere solet) et sympathice glandulas inguinales infestat. Haecce forma urethritidis syphiliticae nomine nota in luem universalem, a' nonnullis quidem negatam, a multis autem (Swediaur, Harrison, Girtanner) quorum sententiam etiam sequimur, crebra experientia probatam, conditionibus, quae huc usque non satis notae sunt, transit et primum in membranas mucosas, ut in membranam Schneiderianam, ita ut aegrotantes sempiterno catarrho vexati esse videantur, aut in membranam aurem internam investientem, ibique otorrhoeam efficiens, aut denique in bulbi coniunctivam, membranam medium inter membranas mu-

mucosas et serosas tenentem, ibique ophthalmiam blennorrhoicam producens, transmigrare solet.

Altera forma ulcerosa omnia organa perreptat, maxime autem cuti ossibusque insidet, neque oculis parcit. Utraque igitur forma oculos corripere potest, prior autem triplici modo, sive per luem universalem, ea productam, sive per metastasin, si profluvium mucosum remediis adhibitis vel diaeta mala supprimitur, sive per contactum, si ichoris syphilitici guttula oculis admovetur. Decursus huius oculorum affectionis urethritidi syphiliticae admodum similis est; observamus enim, ut in illa, initio stadium inflammatorium, tumorem, calorem auctum, ruborem ac dolorem, mox vero stadium secretionis auctae succedit, mucus primum, tum pus verum secernitur, ita ut haud raro, vortice purulento exorto, cornea rumpatur atque humores prolabantur; deinde in stadio secundo urethritidis syphiliticae contractiones spasticas, priapismum, chordam observamus, in oculis affectiones spasticas musculi orbicularis palpebrarum, porro in urethritide saepius paraphimosin videmus, in blepharophthalmia ectropium, denique in illa stymatosin criticam haud raro animadvertimus et in hac sanguinis profluvia ex coniunctiva, inflammationem magnopere mitigantia.

Affectio vero oculorum forma syphilidis ulcerosa orta, signum semper est morbi totum corpus iam insidentis, symptoma igitur est luis confirmatae, ita ut morbus ipse et materia virulenta nec locum nec sedem mutent. Cum haecce syphilidis forma cutim praesertim invadat, etiam oculi partes membranceas

corripit, ac inflammationem iridis, membranae chorioideae, corporis ciliaris, capsulae lentis et adnatae excitat; inflammatione vero iridis semper fere praevalente nomen syphiliticae iritidis adepta est, et eodem modo, quo in ulceribus syphiliticis cuiuscunque partis, cingulum quasi ex violaceo rubrum, non late diffusum, in eorum peripheria videmus, etiam in oculis, iritide syphilitica correptis, densum vasorum cingulum, non late diffusum, corneam circumdantem, conspicimus.

Sed ex quacunque syphilidis forma inflammatio orta sit, semper praedispositio existat, necesse est, quia aliter quisque, lue universali vel blennorrhoea suppressa laborans, hac ophthalmia corriperetur; sensibilitate enim et irritabilitate aucta, nimia oculorum actione vel supra modum intentione huic praedispositioni ansa praebetur.

De Blepharophthalmia blennorrhoica.

Diagnosis.

Stadia duo huius morbi facile distinguimus, quorum prius exhibet statum inflammatorium, omnibus secretionibus oculi fere suppressis, alterum vero secretionis abnormis initio terminatur, et vario modo, uti omnis blepharophthalmia ad exitum perducitur.

Initio tumor durus dolens, colore roseo tinctus, palpebram superiorem occupat, in bulbi coniunctivam celeriter propagatur, quae aeque ac in chemosi idiopathica intumescit, corneam uti vallum rubrum et fungosum circumdat, et vesicae, sanguine impletae similis, ex palpebrarum rima prominet. Simul dolores vehementiores aut in fronte, aut in occipite, vel in uno capitis latere, vespere ingravescentes, per diem mitescentes, urgent, et vel minimae lucis incidentis vis maximam photophobiam manifestat, saepiusque palpebrarum tumor ectropium producit. Inflammatio haec vehemens haud raro febrem inflammatoriam, siti, calore, inquietudine, vigiliis, pulsu frequenti et duro incedentem, provocat. Breve semper est huius stadii temporis spatium et iam secundo vel tertio die stadium secundum sequitur. Nunc coniunctiva et bulbi et palpebrarum muco albo obducitur, qui fusius de malis destillat easque corrodit; simul tumor palpebrarum augetur atque livescit. Denique suppuratio vera oritur, singulae corneae lamellae discedunt, et vortice purulento exorto, cornea rumpitur bulbusque confectus collabitur.

Huic blepharophthalmiae admodum similis est ophthalmia aegyptiaca, quae praecipue decursu multo tardiore et causis occasionalibus ab ea distinguitur et revera varietas tantum blepharophthalmiae syphiliticae esse videtur. 1)

---

1) Rust, die ägyptische Augenentzündung in Mainz. Berlin 1820. §. 106. S. 151.

Differentiae.

Beer 2) hanc ophthalmiae speciem blepharopthalmiam vel ophthalmiam gonorrhoicam veram; Wendt 3) iritidem medorrhoicam, Schmidt 4) ophthalmoblennorrhoeam sive chemosin gonorrhoicam, Frank 5) ophthalmitidem gonorrhoicam nominant. Nomen, quo Beer hanc formam designat, blepharophthalmiae enim gonorrhoicae, optimum mihi esse videtur, quippe quod naturam et indolem huius morbi perspicue exprimit.

Differentiae huius affectionis praecipue a causis assumuntur; nempe an affectio sit mere metastatica, an ex lue universali blenorrhoica originem ducat, an per contactum venenum syphiliticum ex urethra oculo admoveatur.

Metastasis saepissime huius blepharophthalmiae est causa, quia blennorrhoea syphilitica haud raro supprimitur, sive refrigeratione, sive abusu iniectionum, remediorum balsamicorum vel adstringentium, sive nimio corporis motu etc. Blepharophthalmia

---

2) Beer Lehre von den Augenkrankheiten. erster Bd. Wien 1813. S. 542.

3) Die Lustseuche iu allen ihren Richtungen u. allen ihren Gestalten, zum Behuf academischer Vorlesungen. Bresl. 1816. S. 79.

4) Himly und Schmidt ophthalmologische Bibliothek. 3ter Bd. erstes St. S. 35.

6) Frank epitome de curandis hominum morbis. Lib. II. p. 66.

per contactum ichoris ex urethra orta ut malum semper topicum decurrit, ac exitum multo mitiorem et tardiorem praebet. Praeterea Beer sub nomine ophthalmoblennorrhoeae syphilitico-scorbuticae varietatem describit, quae, blennorrhoea syphilitica in aegroto vel non observata, vel si adest, non suppressa eiusmodi homines invadit, qui excessu in Venere et Baccho, corpus tam debilitavere, ut cachexia scorbutica vel putrida plane inficerentur; quae vero ophthalmia ex totius corporis corruptione pendere neque ex blennorhoea syphilitica mihi videtur.

Exitus.

Huius ophthalmiae semper exitus infaustus est, nisi auxilio medici approperantis celerrime cohibeatur. Suppuratio saepius totam corneam delet, humores prolabuntur, ita ut non solum visus, sed etiam forma oculi amittatur. Interdum, si inflammatio summum hunc gradum non adipiscitur, maculae, leucomata et cicatrices remanent, aut membrana adnata palpebrarum tumida et relaxata ectropium format. Si ulcera in minori tantum parte corneam corripuerunt, synechia partialis anterior oritur, sin autem iris, vel maxima parte, vel omnino cum cornea cohaeret, staphyloma vel partiale, vel totale producitur.

Quod vero aetiologiam adtinet, iam in capite priori omnia, quae memoratu digna mihi videbantur, dicta sunt.

Prognosis.

Si primo ophthalmiae initio blennorrhoea suppressa quam celerrime restituitur, prognosis bona

est; hoc autem neglecto vel non successo, morbus semper exitum plus minusve infelicem habet. Si blepharophthalmia iam ad stadium secundum profecta est, prognosis maxime est ambigua et omnia ex restitutione blennorrhoeae primariae pendent. Si cornea ulceribus iam perforata et vortex purulentus exortus est, visus et oculorum forma delentur. Multo autem mitior est inflammatio, si a contactu virus syphilitici originem ducit, decursus est tardior, et, remediis convenienter adhibitis, et forma oculi et visus semper conservantur. Blepharophthalmia vero, quae a lue universali, blennorrhoea neglecta exorta, producitur, et illa species, quam Beer blepharophthalmiam syphilitico-scorbuticam nominat, decursum habent celeriorem, quam ut medici auxilium aliquid proficere possit; semper fere colluvies bulbi sequitur, et haud raro cachexia universalis vitam ad finem deducit.

Curandi methodus.

Quamquam auctores in curandi methodo omnino consentanei non sunt, tamen hae duae indicationes semper proponuntur, inflammationem quam celerrime solvendi et blennorrhoeam suppressam restituendi.

Cum haec inflammatio semper fere homines robustos et plethoricos corripiat, antiphlogistico apparatu uti necesse est, si primae indicationi satisfacere volumus. Hirudines decem usque sedecim ad oculum adhibeantur, venaesectiones instituantur, remedia purgantia mercurialia praebeantur, oportet; anne arteritomia, quae in ophthalmia aegyptiaca tantam

praebet utilitatem, etiam hoc in casu proficua sit, equidem, si magnam ophthalmiae aegyptiacae et blennorrhoicaes imilitudinem perpendo, non dubitem; tum fomentationes frigidae, oculis applicentur et hydrargyrum muriaticum mite (grana duo ad quatuor omni bihora) praebeantur, necesse est. Sed omnia haec remedia, quanquam efficacissima sunt, nihil efficiunt, nisi, blennorrhoeam suppressam ut restituamus, contingit. Ad hanc rem efficiendam, multa remedia ab auctoribus commendata sunt. Alii inoculationem virus alius hominis, blennorrhoea laborantis, proponunt, alii candelas unguento ex hydrargyro praecipitato rubro illitas, in urethram applicandas, commendant.

Beer 6) inoculationem cum muco ex oculo fluente, instituere suadet. Sed haec remedia nimis sunt stimulantia, praesertim cum inflammatio urethrae nimis aucta, semper fere caussa proxima blennorrhoeae suppressae sit, qua de causa illa remedia maximos efficiunt dolores et ab aegrotis reiiciuntur. Meliora igitur sunt remedia emollientia, fomentationes partium genitalium tepidae, cataplasmata emollientia cum herba cicutae et hyoscyami, balnea tepida, clysmata emollientia, cucurbitulae ad perinaeum et ad femora. Omnibus his remediis frustra adhibitis Spangenberg 7) scarificationem et excisionem con-

---

6) Beer Lehre von den Augenkrankheiten. 1 Bd. S. 547.

7) Horns Archiv. Bd. XII. S. 2. p. 272.

iunctivae tumidae proponit. Camerarius iam 8) magnae utilitatis scarificationum mentionem fecit; excisio vero adnatae illis adhuc praeferenda est, quia maiorem sanguinis copiam evacuat et secretionem imminuit. Exulcerationes malarum, muco acri, ex oculis fluente, productas, diligenter lavando cum decocto herbae althaeae vel malvae, praecaveri, necesse est, quia irritationem et inflammationem augent. Saepius si omnia remedia antiphlogistica convenienter adhibita erant, atque morbus mitior redditus erat, denique status asthenicus, blennorrhoea ex oculis perdurante observatur; hoc in casu remedia topica praebenda sunt, tinctura opii simplex et crocata, solutiones zinci vel cadmii sulphurici vel cupri aluminati ad instillandum, emplastra vesicatoria pone aures, cortex Mezerei in brachium. Interne vero decoctum chinae saturatum magnae utilitatis, ad hunc statum asthenicum removendum, erit.

Jritis syphilitica.

Diagnosis.

Initio observamus ruborem pallidum in sclerotica qui ad corneam magis tinctus apparet, ad peripheriam vero omnino evanescit; sensim et coniunctiva

---

8) Alexandri Camerarii et Jul. Fried. Breyer dissertatio de ophthalmia venerea et peculiari in illa operatione. Tübing. mens. Junii 1734; in Halleri disputationum medico - practicarum Tomo primo.

rubescit, ita ut rete vasorum sanguine impletorum, quod annulum quasi circa corneam format, et versus peripheriam paulatim pallescit, videamus, per quod sclerotica, colore roseo tincta conspicitur, praesertim si bulbi motu rete vasorum coniunctivae super scleroticam movetur. Eodem tempore cornea splendorem amittit, dum inter laminas lympha exsudat, immo humor aqueus nonnunquam haud pellucidus esse videtur. Iam ab inflammationis initio iris afficitur, paulatim enim perdit movendi facultatem ac colorem mutat, ita ut iris caerulea colorem subviridem, iris vero fusca, colorem rubicundum accipiat, pupilla parvior ex medio oculo decedit, et sursum, versus angulum oculi internum, sistit, quod est signum huius inflammationis pathognomicum; paulo post iris turgescit, corneae appropinquatur et margo pupillaris intrinsecus sese invertit. Aegrotus magnos queritur dolores, lucem fugit et quaeque mutatio vel luminis vel caloris, frequens lacrymarum stillicidium excitat. Dolores, inflammatione ingravescente, etiam augentur, et totam regionem orbicularem occupant, et ut dolores ossium syphilitici, tempore vespertino exacerbescunt, media nocte summum gradum adipiscuntur, temporeque matutino mitescunt, quo cum dolore ossium omnia caetera symptomata, rubor, photophobia, dolor bulbi, epiphora, augentur. Deinde si morbi decursus remediis efficacibus non impeditur, iridis forma ac color magis magisque mutatur et mox exsudationes in pupillae margine oriuntur, quae modo filiformes, modo nubeculosae, visum magis magisque diminuunt. Denique ex margine vel ciliari vel pu-

pillari iridis condylomata vera prodeunt, quae sensim sensimquae crescunt ac totam oculi cameram anteriorem implent, iridem reclinant et superficiem internam corneae attingunt. Ulcera forma irregulari et marginibus dentatis in cornea et sclerotica haud raro observamus.

Exitus.

Varii sunt exitus huius inflammationis; si adhuc recens est, resolutio remediis convenienter adhibitis saepe contingit: inflammatione iam progressa, abscessus in iride et hypopium verum haud raro observamus; aut exsudationes in pupilla et suffusio capsulae lentis oriuntur, interdum etiam humoris vitrei chymosin et retinae paralysin vel indurationem videmus ordientem.

Differentiae.

Beer iritidem syphiliticam primariam et secundariam discernit. Iritis primaria iam ab initio indolem syphilidis prae se fert et nulla alia ophthalmiae causa intercedente originem ducit; iritis autem syphilitica secundaria alias ophthalmiae formam, ordiens, prae se fert, ac sensim sensimque symptomata supra iam memorata assumit et in iritidem syphiliticam sese convertit. In casu priori symptomata luis universalis perspicua sunt, ac diagnosis multo facilior est, quam iritidis secundariae, nam hoc in casu ophthalmia aliis ex causis originem ducit, ac initio formam praebet ophthalmiae vel catarrhalis, vel rheumaticae, vel alius, et ex lue larvata tandem symptomata iri-

tidis syphiliticae nascuntur. Alii auctores iritidem primariam ob decursum celeriorem acutam, secundariam vero chronicam appellant. Denique saepius complicationes cum aliis ophthalmiis, a dyscrasia vel cachexia ortis, observamus, praesertim cum ophthalmia scrophulosa, arthritica, scrobutica et psorica.

Prognosis.

Inflammationis gradus, totius corporis habitus atque aetatis ratione habita, prognosin constituere possumus. Si inflammatio adhuc recens est, exsudationibus pupilla nondum referta, dolores osteocopi photophobia, epiphora caetera symptomata mitiora, condylomata ac ulcera nondum exorta, lues universalis non inveterata, constitutio aegroti bona, si denique complicationes non animadvertuntur, prognosis bona est, ambigua vero, si exsudationes iam adsunt, cornea valde obfuscata est, inflammatio iam per longius temporis spatium perduravit et condylomata orta sunt, pessima vero nominanda est, si exsudationibus densis pupilla omnino occlusa est (cataracta spuria lymphatica,) si condylomata magis magisque crescunt atque ulcera in cornea et exostoses in orbita adsunt.

Dispositio ad inflammationem semper remanet et refrigeratio minima, vel alia causa occasionalis exigua, eam denuo revocare possunt, quae lue universali nondum sublata, mox indolem syphiliticam acquirit.

Curandi methodus.

Quanquam iritis syphilitica symptoma tantum est luis universalis, et hac sublata, etiam illa evanescere

oporteret, indicatio tamen prima est symptomatica, inflammationem enim quam celerrime resolvendi et dolores nocturnos minuendi, quia, his reglectis, mox exsudationes pupillam concludunt. Quo facto, omnis cura ad luem universalem celeriter evertendam adhibeatur oportet, ne morbus iterum ingravescat. Prima indicatio methodum antiphlogisticam requirit; si inflammatio adhuc est recens, rubor valde extensus et dolores vehementes, immo tempore diurno, sunt, hirudines quatuor ad sex, ad quemque oculum applicare, sanguinisque profluvium e morsu eorum non intercipere oportet. Simul remedium purgans mercuriale (ex hydrargyri muriatici mitis granis sex et pulveris radicis ialappae scrupulis duobus) praebendum est; ad dolores osteocopos coercendos unguentum hydrargyri cinereum cum tinctura opii, aut hydrar. muriat. mitis et opii puri singulorum circiter grana quatuor cum saliva, tempore vespertino regioni supra orbitam inungenda sunt, quod, si dolores media nocte attamen valde ingravescunt, tum repetendum est. Quocunque remedio topico in hoc inflammationis stadio abstinendum est, et tantum photophobia, epiphora et maiori irritatione sublatis, remedia topica, quorum paulo inferius mentionem faciemus, adhiberi possunt. Secundam indicationem facile cum prima coniungere possumus; ad quodque enim luis universalis symptoma quam celerrime supprimendum duo tantum remedia ex toto materiae medicae apparatu nobis offeruntur; hydrargyrum enim muriaticum corrosivum et unguentum hydrargyri cinereum. Magna mercurii sublimati vis contra syphilidem pertina-

cius resistentem, satis nota est, et iam priori tempore omnia fere arcana in morbum venereum ex illo composita erant. Sanchez et Van Swieten praesertim eius vim multis experimentis explorabant, eiusque usum divulgabant, sed multi alii medici, ut Quarin, Lentin, Mertens eum improbabant, immo Cartheuser in fundamentis pharmacologiae dicit: „unumquemque hortor medicum, ut ab usu huius „concreti corrosivi interno semper abstineat, si alias „conscientiam salvam et famam illibatam servare velit; „noxae enim quas productum hoc interne usurpa„tum infert, non semper post primam statim as„sumptionem, sed persaepe post notabile demum „tempus sentiuntur“. Nihilominus tamen mercurio sublimato contra nonnulla luis symptomata carere non possumus et praesertim contra iritidem syphiliticam vim eius confirmant experimentissimi recentioris temporis medici; sed omni providentia praeberi debet hoc remedium, initio fracta dosi ut v. g. per diem grani unius sexta aut quarta pars consumatur; tum vero forma apta observanda est. Optima forma est pilularum cum extracto quassiae, vel solutio in aethere sulphurico.

Altero remedio, unguento hydrargyri cinereo praesertim utimur, si lues iam admodum inveterata et ob morbosam affectionem primarum viarum, merc. sublim. praebere non possumus; tum frictiones cum eo instituimus in varias corporis partes, sed magnis in dosibus, drachmas duas ad tres quotidie consumentes.

His remediis caute adhibitis inflammatio mox minuitur, dolores, epiphora, photophobia remittunt, cornea splendorem suum recipit, ac condylomata, si aderant, sensim evanescunt. Nunc remediis topicis, ut residua inflammationis amoveamus, utimur. Exsudationes minores instillando solutione extracti Belladonnae contractione iridis lacerantur et solvuntur. Ulcera corneae solutione lapidis divini vel tinctura opii curantur; status inflammationis asthenicus solutione Hydr. muriat. corros. cum laudano liquido Sydenhami, vel calore sicco vel unguento ex mercurio praecipitato rubro removetur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Ernestus Friedericus Mauritius Boehme, Freystadii, Silesiae oppido inferioris MDCCXCVIII patre iudicis munere ibi fungente, et matre e gente Dehmeliana natus sum. Litterarum primordiis, in scholis patriae urbis imbutus, annum aetatis XIV agens Gymnasium Glogaviense adgressus, ibique lectiones per octodecim menses frequentavi. Tum agnato benigno maxima cum humanitate ac liberalitate adiutus, Berolinum MDCCCXIV adire potui, et in Gymnasio insigni nomine Friederici Guilelmi per triennium institutus sum litteris, quae a disciplinis in universitate tractandis excipiantur, necesse habetur. Testimonium maturitatis adeptus anno MDCCCXVII in universitate litteraria Berolinensi a Cel. Link t. t. Rectore Magnifico a. d. XXI. M. Aprilis numero civium academicorum adscriptus sum, inde a quo tem-

pore hisce lectionibus interfui: de botanice, cryptogamologia, historia naturali et philosophia naturae Cel. Link, de chemia Cel. Turte, de physice generali, de magnetismo, electricitate et galvanismo Cel. Erman, de mathesi et astronomia Cel. Tralles, de historia universali Cel. Stenzel, de encyclopaedia medica Ill. Rudolphi. Osteologiam, splanchnologiam et syndesmologiam Ill. Knape me docuit. Ill. Rudolphi lectionibus de anatomia universa, de organorum sensuum dissectione deque entozoorum historia interfui, quibus viris illustribus etiam artem cadavera secandi debeo, qua me in theatro anatomico instruxere; Physiologiam universam Ill. Rudolphi et semioticem Cel. Fr. Hufeland me docuere. In pharmacologia et toxocologia Cel. Link, in materia medica Ill. Berends praeceptoribus gavisus sum. Ill. C. G. Hufeland de therapia morborum chronicorum speciali, Ill. Berends de exanthematibus acutis, Ill. Horn de pathologia speciali disserentes audivi, cuius etiam scholis de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis interfui. Pathologiam et therapiam morborum infantum Cel. Richter mihi tradidit. In acologia atque doctrina de ossibus fractis et luxatis Cel. Bernstein praeceptore usus sum; nec non in chirurgia generali et speciali atque akiurgia Cel. Rust. Ad artem medicam et chirurgicam exercendam in clinicis medicis et chirurgicis Ill. Berends, Cel. Neumann, Ill. Graefe et Cel. Rust institutus sum.

Tentamine et examine rigoroso coram Gratiosa Facultate Medica Berolinensi rite absolutis, spero, fo-

re, ut post hancce dissertationem rite defensam, summos in medicina ac chirurgia honores adipiscar.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Hominum varietates ad unum eandemque speciem pertinere.

II.

Telam mucosam nutritioni inservire